

Alte Drucke

**CONCIONES || IN EVANGELIA || ET EPISTOLAS, QVAE || per
totam Quadragesima[m] populo in Ecclesia || proponi
solent, è Tabulis F. Iacobi Veldy ...**

Prielee, Gilles vanden

Parisiis, 1567

FERIA QVARTA HEBDOMADAE QVARTAE QVADRAGESIMAE, Epist. Isaiae 1.

Nutzungsbedingungen

Die Digitalisate des Francke-Portals sind urheberrechtlich geschützt. Sie dürfen für wissenschaftliche und private Zwecke heruntergeladen und ausgedruckt werden. Vorhandene Herkunftsbezeichnungen dürfen dabei nicht entfernt werden.

Eine kommerzielle oder institutionelle Nutzung oder Veröffentlichung dieser Inhalte ist ohne vorheriges schriftliches Einverständnis des Studienzentrums August Hermann Francke der Franckeschen Stiftungen nicht gestattet, das ggf. auf weitere Institutionen als Rechteinhaber verweist. Für die Veröffentlichung der Digitalisate können gemäß der Gebührenordnung der Franckeschen Stiftungen Entgelte erhoben werden.

Zur Erteilung einer Veröffentlichungsgenehmigung wenden Sie sich bitte an die Leiterin des Studienzentrums, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

Terms of use

All digital documents of the Francke-Portal are protected by copyright. They may be downloaded and printed only for non-commercial educational, research and private purposes. Attached provenance marks may not be removed.

Commercial or institutional use or publication of these digital documents in printed or digital form is not allowed without obtaining prior written permission by the Study Center August Hermann Francke of the Francke Foundations which can refer to other institutions as right holders. If digital documents are published, the Study Center is entitled to charge a fee in accordance with the scale of charges of the Francke Foundations.

For reproduction requests and permissions, please contact the head of the Study Center, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

urn:nbn:de:gbv:ha33-1-150295

FERIA QVARTA

Scripturæ quoque, quas scrutamini, illæ testimoniū perhibent de me. Igitur si Mōi & scripturis creditis, me notis. Proinde nulla vobis superest excusatio ignorantia.

FERIA QVARTA HEBDOMADAE

QVARTAE QVADRAGESIMAE,

Epist. Isaia 1.

Lauiamini, mundi estote: aufer te malum cogitationum vestrarum ab oculis meis, &c. Finis Epistolæ: & succendetur vtrunque simul, & non erit qui extinguat.

Cessatio à peccatu, prima vera poenitentia pars.



Ac Epistola tria proponit Propheta, quæ ad veram salutis rationem spectant.

1. Primò, Cessationem à peccatis, quæ prima est veræ poenitentia pars. Neque enim vlla esse potest veræ virtutis operatio, vbi peccandi voluntas, affectus, & cupiditas animo imperat. Licet enim non fiat, vt nō aliquando venialiter peccemus. Si enim dixerimus, quoniam peccatum non habemus, nos ipsos seducimus, 1. Iohan. 1. sed vt peccatum nobis non dominetur, & nos à lege Dei auertat, per gratiam Dei facile contingit. Quod itaque lauari vult peccatores Propheta, ad sacramentum baptismatis est allusio, cuius efficacia regeneramur, & renouamur ad vitæ nouitatem: non quidem vt quoties peccamus, toties rebaptizemur. Vnus etenim tantum est baptismus, Ephes. 4. sicut Christus semel tantum mortuus est, Rom. 4. sed quia nisi ille præcesserit, cetera poenitentia opera non prodesse: Fit enim præcedente baptismo, vt efficax sit subsequens poenitentia. Neque enim, inquit August. cap. 33. lib. 1. de nuptiis & concupiscen. aliquid prodest non baptizato dicere, Dimitte nobis debita nostra. Atque idè ne quis solum baptismum sufficere putaret, addit, *Aufer te malum cogitationum vestrarum ab oculis meis. Quiescite agere peruersè.* Quæ cum emphaticè dicantur à Propheta, pulchre omnem iustitiæ perfectionem complectuntur, atque omnem hypocrisis damnant: quibus hoc solum propositum est, vt coram hominibus iustitiam simulent. Doce tenim non operibus tantum, quæ ab hominibus

Non prodest non baptizato dicere, Dimitte nobis debita nostra.

spectari possunt, sed ipsis quoque cogitationibus verā iustitiam perficit. Cogitatio namque fons est orationis & operationis, quā si, vt habet D. Prosper lib. 3. de vita contempl. cap. 3. bona sit, mētem, & actiones purificat: si verō mala, inquinat: sed quum ipsa boni cogitatio nō sit in nostra potestate, 2. Corinth. 3. vt etiam ostendit

*Cogitatio
fons orationis.*

Augustinus de bono perseueran. cap. 3. nec eam habere possumus, nisi ab illo, qui cordi humano sanctas dat cogitationes, per quas habeat fidem, quā per dilectionem operetur: quomodo prācipit Propheta, vt malum a cogitationibus auferamus, nisi, inquit August. ita intelligamus gratiam prādicari, vt tamen non negetur arbitrij libertas, quā gratia cooperatur: Siquidē, iuxta Bernardum, nec liberum arbitrium sine gratia, nec gratia sine libero arbitrio esse in homine potest.

2. Secūdo, ipsam iustitiā perfectionē cum enumeratione virtutū, dū ait, *Discite bene facere, querite iudiciū. subuenite oppresso, iudicate pupillo, defendite viduā.* Quā licet solis videatur a Propheta iudiciis prāscribi, quorū mores corruptissimos satyrica planē libertate toto capite perstrigit, omnibus tamē ex æquo conueniūt: quasi dicat, Quum tāta sit in vobis prauitas malitiāq; vt omnia vestra opera Deo nauseā pariāt, vt sunt festiuitates, neomeniæ, sabbata, sacrificia: necesse est, vt, si placere ei velitis, eiusque vobis gratiā cōciliare, discatis benefacere, nec corruptū naturæ instinctū, quā prona est ad malū omni tēpore, Gen. 6. sed prauementē vos gratiā sequamini. Nō enim potestis bona agere, quū sitis mali, nisi didiceritis ab eo qui docet hominē scientiā, Psal. 93. Accidit autē hæc tāta bene agēdi difficultas, tū ex vitio originali, & studio prauæ volūtatis, quā nisi corrigatur gratia Redēptoris, sublata malē agēdi prauitate, nūquam ceteras, quas Propheta prācipit virtutes faciemus: aut eo saltē sine, quo iubētur, vt ad eū scilicet tātū referamus, qui omnis iustitiæ fons est & origo. Prācipit autē omnib⁹ nēpe iudiciis, & priuatis, iudicij æquitatē, quā nō tantū cuique, quod suum est, ex iure discernitur, sed quā proximi actiones quadam epeceia rectē interpretamur, quatenus charitatis lex permittit, quā in rebus adiphoris non cogitat malum: mala verō, quā sine adu-

*Bene agendū
difficultas
ex vitio originali.*

*Iudicia pri-
uata sunt in
scripturis
prohibita.*

*Hæretici bo-
nâ opera ad-
vânt.*

latione laudari nequeunt, iuxta verbum Dei indicat, Corinth. 4. Sunt enim priuata iudicia meritò in scripturis prohibita, quia sunt plerunque temeraria, falsa, & iniusta: utpote quæ ex affectu potius quàm vera ratione proficiantur. Cætera verò quæ de subuentione oppressi, iudicio pupillorum, & defensione viduarum dicuntur, ad iudices tantum spectant, quorum est subuenire iis, qui potentiorum calumniis opprimuntur. De iis in superioribus tabulis abundè satis dictum est.

3 Tertiò, Contra nostrorum hæreticorum furores, qui omnem dignitatem bonis operibus derogant, docet Deum non tantum ex misericordia, sed quasi iure quodam velle adstringi ad reddendam virtutibus suam mercedem, dum ait, *Venite, & arguite me*: quasi dicat, Si sine me iudicio, accusate iniustitiæ, scribite dicam, & iure mecum agite, si nimirum vobis, quod rectum est facientibus non reddidero mercedem, paratus sum quam tuli subire legem, iniustus haberi volo, ut ipsos iniustos esse pronuntio, qui operariis mercedem denegant, Deut. 24. Leuit. 19. Eccles. 34. Vide Dei obsecro benignitatem, misericordiam, & clementiam: qua non solum peccata non punit, sed ad penitentiam inuitat. Penitentibus veniam tanta facilitate concedit, ut velit etiam nisi faciat iniustitiæ accusari, ac ne quem desperatio terrere posset ex seclerum gravitate, numero, magnitudine, spem facit remissionis & gratiæ. *Si fuerint, inquit, peccata vestra, ut coccinum, sanguinea scilicet, & impura ex conscientiae prauitate, & vermiculus, vel ostro similia, quasi nix dealbabitur.* Psalm. 50. Lauabis me, & super niuem dealbabor: & velut lana alba erunt. Hæc est promissio noui testamenti, quam Christus adueniens copiosissimè adimpleuit, mundans nos à peccatis nostris in sanguine suo. Cuius efficacia ab ipso instituta sacramenta potissimum regenerationis & reconciliationis, peccatis purgandis inferuiunt, & veram iustificationem restitunt, ut ex filiis iræ sint abluti, iustificati, & sanctificati hæredes Dei, & cohæredes Christi. Tales enim nos efficit suis numeris absolutos penitentia, quæ non tam fide, quàm virtutum operatione fiat.

Et prateriens Iesus, vidit hominem cecum à natiuitate: & interrogauerunt eum discipuli eius, &c. Finis Euangelij: Tu quid dicis de illo, qui aperuit oculos tuos? &c.

 OMPLECTITVR hæc historia mysteriū gratiæ noui testamenti, quæ facta est per Christum, qui venit in hunc mundum, vt illuminaret omnes, qui in tenebris, & vmbra mortis sedebant, Lucæ 1. hoc est, vt Paulus loquitur, peccatores saluos facere: Nam ea se de causâ à Patre missum esse testatur. Deinde quàm disparēs sint subsecuti effectus, nempe, quòd qui cæci erant, iam videant: & qui videbant, cæci sint. Agit autem potissimum hoc Euangelio Christus quinque.

I Primò, Vt ostēdat insignem suam clementiam, tum erga cecum, quem prateriens dignatur placido aspectu intueri, quo Petrum negantem, Lucæ 22. Magdalenam penitentem, Luc. 7. Latronem confitentem, Luc. 23. aspexit. Quum enim omnia humanæ naturæ collata beneficia sint merè gratuita: quis enim prior dedit illi, vt retribueretur ei? tū maximè incarnationis mysterium, quum nulla re magis, quàm hac cōmenderetur Dei misericordia, qua nos ille prior ignorātia rerum agendarū, & concupiscentia rerum noxiarum, primorum parentum vitio excecatus, & originalis iustitiæ thesauro spoliatus, suo aspectu dignatur: atque ex massa perditionis sibi filios, hæredes, & coheredes regni deligit, quibus gratia fidei secundum propositum voluntatis suæ prædestinatis, vocatis, & iustificatis, tādē amissa restituetur merito crucis & incarnationis, dū visum restituet, non illū tantū corporeum, sed spirituale, vt verum Deū cognoscat, non tantū hic per speculum, & ænigma, sed facie ad faciem gloriam Domini speculando. Tum etiam erga discipulorum crassam ignorantiam, qua credebant antè Deum peccatū vlcisci, quàm ab homine perpetraretur:

*Omnia hu-
mane natu-
re collata be-
neficia sint
merè gratui-
ta.*

sed quia audierant egritudinē peccatis imputari à Christo, Iohan. 5. arbitrabantur eam propositionem esse vniuersalem: & etiam quia scripturæ peccatis parentum affligi filios docent, Exod. 20. Deut. 28. Ezech. 18. Huic enim (vt patientiæ, & mansuetudinis exemplum exhiberet omnibus erga subditos, infirmitate & ignorantia laborantes, vt monet Apost. ad Galat. 6.) respondet ita, vt & parentes, & filium à peccato excuset: non quasi peccatores non fuerint, (Omnes enim peccauerunt, & non est iustus in terra qui non peccet) sed tantum negat cæcitatē fuisse pœnā alicuius sceleris. Vt multis subinde calamitates sunt pœnæ scelerū: vt Dauidi, Manassæ, & Saulo accidit. Sed vt manifestetur gloria Dei, quæ solet exercere suos vel ad probationem, exercitium virtutum, in meritum peccati, & Dei gloriam, vt Iob, Tobiam, Paulum, Paraliticum, Sororem Moysi, Lazarum, Cæcūque. Errant ergo, qui putant afflictiones hominibus fortuito casu accidere, & prouidentiam tollunt: quasi scilicet, circa cardines cæli versaretur Deus, nec nostra consideraret. Castigat enim omnem filium, quē recipit ex immensa misericordia sua, non vt perdat, sed vt inde glorificetur. Ergo qui impatientia crucem à se abiicit, gloriam Dei reicit.

*Calamitates
sunt pœnæ
scelerum.*

*Afflictio-
nes fortuito
non accidunt.*

*Opera legis
quæ.*

2. Secundo, Dum ait, *Me oportet operari, donec dies est*, aduentus sui causam aperit, nepe, vt doceret ignaros, cōsolaretur afflictos, & succurreret miseris. Hæc enim sunt opera Dei, vt cōtrā opera legis sunt terrere, iudicare, & dānare: quæ ministratio mortis appellatur à Paulo, 1. Cor. 3. Sed vt ab hoc maledicto nos redimeret, aduenit Christus, in quo perseverauit, donec dies esset, id est, vitæ tempus à Patre præfinitum tulit. Quod verò ait, *Veniet autē nox*, &c. His verbis occultæ passionis suæ breui cōplendum mysterium significat: aut, si ad allegoriam transferre voles, significat tū cuiuslibet esse rectē agendū dum licet auxilio gratiæ frui. Nam in nocte, id est, post vitam, rectē operandī facultas negabitur, dum ligatis manibus & pedibus proiciuntur in tenebras exteriores. Vel, donec luce Euāgelij dirigimur, facile licebit, accedēte gratia Dei, (Nā sola Euāgelij cognitio ad hæc non sufficeret) fructus producere Spiritus sancti, qui sunt charitas,

patientia, gaudium, pax, longanimitas, bonitas, mansuetudo, modestia, & fides. Ipse enim Christus quandiu est in mundo, lux est mundi, illuminans omnem hominem. Nemo enim nisi per illum illuminatur, ut scilicet filius Dei fiat is, qui credit in nomine eius, amplectendo fidem, qua predicationi verbi Dei credat, & charitatem, qua preceptis obsequatur. Hi sunt enim effectus celestis huius lucis, quam Pater in mundum misit: utque ut hanc doctrinam, qua rationem naturam superat, in animis suorum confirmaret Christus, eam praeclaro confirmat miraculo.

3 Tertiò, Quòd sputo lutum faciat, cæci oculos liniat, & ad naratoria Syloë circum mittat, ut eos lauet, & videat. Hoc, ut gravissima & præcipua fidei nostrae symbola commendaret, fecit. Quum enim sapius longè maiora solo verbo miracula perfecerit, hic tamen variis vitur ceremoniis, ne prorsus eas in sacris religionis nostrae mysteriis contemneremus, aut (ut solent impij Enthusiastæ) imaginariam tantum religionem somniamus. Reddunt autem nos vera hæc signa, quibus vitur Christus, certos de diuinitate, & sanctificatione, unita humanitati *musculos*, qua velut organo est usus ad reparationem humanæ naturæ, occultam voluntatis suæ rationem explicans, quam scilicet vim & energiam sacramentis Ecclesiæ suæ esset collaturus: quæ noluit nuda tantum esse signa, sed efficacia, quæ animum purgandi, sanandi, & sanctificandi vim haberent, non ex materia, qua constât natura, sed verbi potentia: Nam accedit verbum ad elementum, & fit sacramentum. Expoit igitur Christus, ut aduertat quòd omnia eius interiora lumen sint, & quòd verè videat, qui Christi mundatur internis. Ut enim lauat salua, ita & sermo. Iohan. 1. Iam vos mundi estis propter sermonem. Denique quòd lutea nostra caro per baptismi sacramentum æternæ vitæ lumē accipiat.

4 Quartò, Cōmendat insignem obediētiam, & fidē in cæco, qui nō secus, atque Abraham, cōtra spem in spem credit: dū ea in oculis recipit, quib⁹ excæcetur potius quā videret, & dū patitur se à Christo ablegari ad eas aquas, quibus sapius esset usus. Ea enim est veræ fidei natura, ut captiuē intellectū in obsequiū verbi Dei, ut rationē humanā à consideratione corporearū rerū abstra-

Fructus Spiritus sancti.

Ceremonie in mysteriis nostræ religionis non contemnenda

Fidei natura.

hat, vt verbo Dei lucenti tanquam lucernæ in caliginoso loco obtemperet, idque sequatur. Hæc enim nisi qui voluntatis suæ arbiter est, attulerit, nūquam sacramentorum Christi gratiam, sine qua salutem assequi nulli licet, consequetur: licet paruulis, qui originalis solum sunt rei peccati, alia ratione succurrat misericordia redemptoris, scilicet parentum & Ecclesiæ fide. Adulti verò nisi præter fidem, obedientiam quoque attulerint, nihil vnquam præter ea, quæ damnationem augeat assequuntur. Contrà verò qui obice remoto prauæ voluntatis, verbo Dei obediunt, veræ pœnitentiæ lachrymis se lauant, hi demum sacramentorum efficaciam ex merito sanguinis Christi profluentem in se recipiunt, ac vident ereptos sese de potestate tenebrarum, & translatos in regnum dilectionis filij Dei, ad Collos. 1. Ac ne ingrati sint gratiæ Dei, eam contra omnes aduersarios fidei tuentur, Christum prædicant, nec verentur, vt hic cæcus, inuidiam mundi, magnatū indignationem, quibus Christi gratia semper ferè est odor mortis, sed magna constantia ad mortem vsque tuentur: licet capitis subinde periculum esset subeundum.

5 Quintò, Arguit impudentem Scribarum & Phariseorum inuidiam, malvolentiam, & cæcitatem, qui toto conatu eò ferebantur, vt tantum hoc à Christo factū miraculum suppresserent. Nam non contenti cæci illuminati parentum eiusdem, & vicinorum, qui eum noverant testimoniis, & aperta confessione, audent tamen horrenda quadam mentis cæcitate affecti, calumniari, quòd sabbato Christus hoc fecisset: quare impij de Christo pronuntiant ipsum non esse à Deo, & peccatorem. Sic enim impij & veri iustitij, qui propriæ nituntur iustitiæ, se iustos, cæteros omnes peccatores æstimant: atque adeò sanctissima etiam facta calumniatur, vera pietatis opera hypocrisin iudicant: & quæ non nisi à spiritu Christi proficiuntur, dæmoni imputant. Sed illuminatum verbo fidei non oportet huiusmodi calumniis cedere: sed contrà fortiter agere, iectibusque aduersariorum resistere, palamque confiteri se Christi militem, Iesumque filium Dei esse. Quapropter ille intrepide respondit, quia Propheta est. Et licet quis fuerit à parentibus

Paruuli.

Adulti.

Sacramentorum vti et efficacia ex merito passionis Christi.

Iustitij, qui.

parentibus consanguineisque derelictus ob Christi confessionem, extraque synagogā factus, à Deo se derelictū vereri nō debet. Nā cæcus hic, à genitoribus ferè oblitus, à Phariseisq̃ reiectus, à Christo tamen suscipitur. Hinc David, Quoniam Pater meus & mater mea dereliquerunt me, Dominus autē assumpsit me, Psal. 26.

FERIA QVINTA HEBDOMADAE

QVARTAE QVADRAGESIMAE,

Epist. 4. Reg. 4.

Facta est ergo dies quedam, & Veniens diuertit in coenaculum, & requieuit ibi, &c. Finis Epistolæ: Vt excurram vsque ad hominem Dei, & reuertar, &c.



RAESSENTIS Epistolæ historia, sub velamine literæ, grauissima sacramenta cōplectitur: Potissimum autē proponit quatuor.

1. Primò, Matrem familiās, morte filij consternatam, ab Elisæo solatium petentem, & impetrantē, dum sese humili deiectione ad pedes Elisæi in monte Carmeli agentem proiecisset: extorserat enim hanc humilitatem nimius de filij morte dolor, quam dum prohibere Giezi vellet, impeditur ab Elisæo. Non est enim tristibus, afflictis, & miseris augendus dolor, sed qua ratione fieri potest leniendus, ne abundantiore tristitia absorbeantur, 2. Cor. 2. Quòd aut occurrentem Giezi conuenit, aut præterit, soli Elisæo volens animi sui morem indicare, significat humana illa solatia, quæ ex rebus præsentibus subinde quærimus, augere potius, quàm lenire afflictæ conscientie dolores, & iuxta oraculum, Psal. 36. reuelandam esse Domino viam tuam, in eo sperandum, &c. Siquidē facturus sit vltra quàm petimus, aut intelligimus, Ephes. 3. Hac enim fide, iuxta Christi promissum, quisquis, Luc. 11. quærit, petit, & pulsar, sciat sese inuenturum, accepturum, & intraturum. Singularem enim hanc Dei mansuetudinem, qua non deserit sperantes in se, expressit Elisæus, dum tam facilem se præbet oranti, imò famuli ministerium repudiā-
met ipsum comitem iunxit.

*Afflictis
non addenda
afflictio.*

*Deus sperantes
in se non
deserit.*